

*voluntaria* vero, quia sola hæc est injustitia formalis, quæ hic attenditur; per jus vero alienum, jus aliquod proprietatis debet intelligi; læsio enim præcise juris jurisdictionis potius inobedientiam constituit.

§68. Injustitia 1<sup>o</sup>. alia est *materialis*, alia *formalis*; prior fit sine, altera cum advertentia alieni juris et læsionis; quæ sola constituit peccatum injustitiæ; a quo neque excusat ignorantia juris alieni *vincibilis*; quilibet enim censetur id velle, vel facere libere, saltem in causa, quod ignorans vincibiliter ac culpabiliter vult, facitque.

2<sup>o</sup>. Alia est *directa*, dum advertenter juris alieni læsionem in se ipsa intendis; alia *indirecta*, dum lædis quidem alienum jus, sed vel in causa tantum volita, vel præter intentionem; hæc posterior peccatum injustitiæ impedire potest, cum læsio non fuerit voluntaria; non prior, si causa volita sit cum prævisione, aut intentione læsionis secururæ; de quo plura Theologi morales.

3<sup>o</sup>. Porro in ordine ad forum conscientiae a Theologis dividitur injustitia in mentalem, verbalem, realem.

*Mentalis* sola mente committitur 1. *Dubitatione temeraria*, juri alterius contraria, velut si temere ex levibus et insufficientibus, vel nullis causis dubites de malitia proximi, in neutram inclinans partem, sed inter contrarios assensus hærens medius, et quasi fluctuans. 2. Vel *suspicionem*, si intellectu a dubio et medio recedens inclinens in assensum de malitia proximi, sic tamen, ut necdum assentiaris. 3. Vel *opinionem*, quæ est assensus debilis in unam partem e. g. de malitia alterius, sed cum formidine de parte opposita. Tres hi actus plerumque a vulgo, subin et doctioribus confunduntur, sumunturque pro uno, suspicionem temeraria, etsi, ut vides, inter eos discrimen sit. 4. Vel *judicio temerario*, quod est assensus firmus de malitia proximi, sine formidine de parte opposita, ejus innocentia. Singuli hi actus sunt oppositi justitiæ; cum quisque habeat jus, ut sua innocentia non revocetur in dubium; non condemnentur, nisi sufficientibus argumentis vel delictum, vel delicti suspicio, vel ratio dubitandi teneatur.

*Verbalis*, quæ verbo, vel scripto etiam committitur, ut *contumelia*, quæ est injusta inhonoratio personæ, vel læsio honoris ejusdem, verbo scriptove facta palam, vel in facie; *detractio*, famæ alienæ occulta denigratio; *maledictio*, mali cujusdam imprecatio; *susurratio*, quæ vel fit detractio secreta, vel oblocutione ex se apta, aut ordinata ad dissolutionem amicitiae honestæ. Equidem hæc aliquando et factis perpetrantur; sic enim et contumelia erit, si alterius imaginem, insignia dehonores, e. g. frangendo, maculando, etc. verbales tamen passim dicuntur, quia ut plurimum fieri verbis solent.

*Realis*, quæ facto, vel quasi facto, actione, omissione, fraude, violentia, circa bona sive corporis, sive animi, sive fortunæ irrogatur.

§69. *Dico II.* Injustitia ex genere suo peccatum grave est. Est communis Theologorum cum Doctore Angelico.

*Prob.* Peccatum enim ex genere suo grave dicitur, estque consensu omnium, quod intra suam lineam potest esse mortale, etsi non accedat alia specie, vel sic diversa malitia; sicut contra leve ex genere suo illud est, quod, etsi crescat suam intra lineam, non tamen evadit mortale, nisi

diversa specie malitia accedat; at vero etsi ratio injustitiæ contrahi possit ad culpam gravem et levem, injustitia intra suam lineam evadit peccatum grave ratione damni quantitativi, vel materiæ, circa quam versatur, etsi alia nova malitiæ species non adveniat, ut si advertenter graviter lædas alterum in bonis suis. Longius hic progreditur Theologia Moralis quoad statuendas regulas discernendi materiam injustitiæ gravem in bonis hominis, ac alia practica, quam vide.

§70. *Dices*: Per peccatum committitur vera et stricte dicta injustitia in Deum; et tamen, juxta Art. præc. Deum inter et hominem non datur stricta justitia; ergo vel hæc admitti debet inter Deum et hominem, vel injustitia stricte dicta non est soli justitiæ commutativæ opposita.

*R. N. 1<sup>am</sup>. p. Ant.* Peccatum non est injustitia stricta adversus Deum in rigore theologico; non enim lædit divinum jus, hoc impediendo, vel tollendo; sed solum latiore sensu dicitur injustitia, quatenus saltem est læsio juris altioris vel eminentialis. Aliud est de peccato in hominem; hoc vere injustitiæ rationem contrahit; hæc enim per juris alieni læsionem tunc contrahitur, quando alteri aufertur, vel saltem in eo impeditur injuste potestas jure suo utendi; sed in hoc potestas neque impedi, neque eidem auferri potest, utpote qui pro libitu sine ullo dispendio læsum honorem omnem recuperare potest.

*Si dicas*: Uti creatura habet jus ad honorem suum, sic et multo magis Deus habet ad suum, qui per peccatum læditur; ergo utrobique per peccatum committitur injustitia stricta.

*R. D. Ant.* Sic Deus habet jus altius, excellentius, nimirum eminentiale *C.* jus impedibile, auferibile *N.* Hinc quidem peccatum in Deum propter excessum malitiæ, eo quod nobilioribus opponatur virtutibus, quam est justitia, religioni, obedientiæ, etc., majus est, non tamen stricta injustitia; nihil enim juris, vel potestatis tollit, aut impedit in Deo, habendi honorem, quando voluerit.

## CAPUT II.

### DE RESTITUTIONE.

Restitutio sumi latius potest, et stricte. In sensu latiore sumitur pro redditione debiti, aut rei alienæ cujuscumque, sive per acceptionem, aut detentionem illius læsum fuerit jus alienum, sive non. Sic restituere dicitur, qui reddit acceptum mutuum, pignus, commodatum, depositum. Stricte sumitur pro actu justitiæ commutativæ, quo jus alienum læsum reparatur, hocque solo in sensu hic de restitutione disseremus.

## ARTICULUS I.

QUID SIT RESTITUTIO? QUOMODO NECESSARIA? QUÆ EJUS RADICES?

571. *Dico I.* Restitutio est reparatio juris alieni rigorosi injuste læsi: vel est actus justitiæ commutativæ, quo jus strictum alterius injuste læsum reparatur; nimirum tantum ad æqualitatem reddendo, quantum damni injuste illatum.

Hinc differt 1<sup>o</sup>. a *satisfactione*; hæc enim proprie sumpta est compensatio præcisè honoris læsi, et offensæ reparatio per veniæ petitionem, submissionem, pœnitentiæ peractionem; ideoque ad justitiæ vindictivam reducitur; at restitutio debitum rigorosum justitiæ commutativæ attendit, fitque pro damno, illud ad æqualitatem reparando. 2<sup>o</sup>. A *solutione*, quod hæc non semper ex se sit actus justitiæ, ut dum solvimus, quæ ex voto, juramento, aut charitate debemus. Plures differentias afferunt alii.

Dictum vero 1<sup>o</sup>. juris alieni læsi; hinc intelligitur, quod, ut quis obligetur ad restitutionem, requiratur, ut ejus actio effective alteri damnosa fuerit; ac proinde qui habuit solum nocendi animum, effectu tamen non secuto, licet peccaverit, nihil tamen teneatur restituere.

2<sup>o</sup>. Læsi *injuste*, nimirum formaliter, vel saltem materialiter; pro damno enim juste illato, ac sine læsione juris alterius nemo quid tenetur restituere. Ut vero injusta sit læsio, præterea necesse est, ut actio sit injusta per se et damnosa. Hinc dum damnum a te illatum errore hominum imputatur alteri innocenti, ideoque is damnum aliquod subeat, huic restituere non teneris, nisi, quantum ille pro damno a te illato compensare debuit, quia actio tua ei injuriosa non fuit; sed damnum hoc secutum est mere per accidens, te non cogitante, solo errore hominum, tuum delictum, sine tua culpa, ut supponitur, innocenti imputantium.

572. *Dico II.* Necessaria est restitutio necessitate præcepti tum divini, tum naturalis; non tamen necessitate medii.

*Prob.* Præceptum divinum habetur ex Decalogo: *non furtum facies*; qui enim vetando furtum prohibet rapere alienum, implicite etiam prohibet alienum detinere. Dein Exod. 22. v. 3. dicitur: *Si læserit quispiam agrum, vel vineam..... pro damni æstimatione restituet.* Et Ezech. 33. v. 14. *Si (impus) egerit pœnitentiam..... pignus restituerit, rapinamque reddiderit..., vita vivet.* Unde S. Aug. Epist. 54. ait: *Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur; si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, cum restitui potest.* Præceptum naturale ex ipso lumine naturæ constat, quod dicitur, neminem esse lædendum in rebus suis; aut, si læsus fuerit, jus læsum esse reparandum; juxta principium lumine naturæ notum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Unde hoc aliud: *Quod vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Non esse tamen restitutionem necessariam necessitate medii inde patet; quia necessarium necessitate medii illud dicitur, sine quo, etiam inculpabiliter non habito, vel omisso non potest haberi salus, ut est baptismus pro parvulis, pro lapsis pœnitentia; at sine restitutione inculpabiliter ommissa, propter impotentiam

vel ignorantiam invincibilem, salus haberi potest, ut patet ex S. Aug. ante relato; ergo.

Præceptum vero illud principaliter affirmativum est; præceptum enim affirmativum illud dicitur, cujus principaliter finis est actio ponenda; sicut contra præceptum negativum est, cujus principalis finis est ommissio: sed principalis finis restitutionis est actio ponenda, scilicet rei alienæ redditio, vel damni dati reparatio; sicut præcepti solvendi pecunias ex contractu debitas est solutio, vel numeratio. Nihilominus præceptum hoc secundario negativum involvit, scilicet non detinendi rem alienam.

572. *Si dicas:* Christus ad Pharisæos, plenos rapina et iniquitate, ait Luc 11. 41. sine mentione faciendæ restitutionis: *Verumtamen quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis;* ergo non est obligatio restituendi necessaria ad salutem; sed ejus loco sufficit largiri eleemosynam.

R. 1<sup>o</sup>. Ergo nec pœnitentia erit necessaria, quia nec de hac eo loco fit mentio. Nimirum non omnia in uno eodemque loco dicuntur.

R. 2<sup>o</sup>. *N. Cons.* Tum quia Christus hic jubendo dari eleemosynam, injunxit restitutionem; cum enim incertum esset ob diuturnitatem rapinæ exercitæ, a quibus extorsissent per nefas pecunias, vult Christus saltem reddi pauperibus, et hac saltem ratione fieri restitutionem, ut sic disponantur ad pœnitentiam: licet enim eleemosyna non justificet formaliter, ut charitas et contritio perfecta; peccatorem tamen ad ea, quæ formaliter justificant, disponit et præparat, vel ex congruo, si ex motivo et auxilio supernaturali fiat; vel per accidens ex liberalitate pura Dei, si fiat naturaliter. Tum quia Christus restitutionem, si alias fieri possit, non excludit, sicut neque pœnitentiam.

573. *Dico III.* Radices restitutionis provenientes ex *jure naturali*, juxta Doctorem Angelicum 2. 2. Q. 62. a. 6. quem Theologi hac in re communiter sequuntur, sunt duæ: *res accepta*, tum *injusta acceptio*.

Etenim his solum modis jus alienum lædi potest. Nam, dum jus alienum læditur, vel hoc fit injuste materialiter, errore, ignorantia inculpabili, citra culpa theologiam; et pertinebit hæc læsio ad rem acceptam: vel cum culpa theologica; et spectabit ad injustam acceptionem. Utrumque nunc amplius declaratur: igitur

1<sup>o</sup>. *Res accepta* est res aliena apud alium vel in se, vel æquivalenti existens, ad quem quidem sine culpa aliqua theologica pervenit, sed quam postea tamen comperit esse alienam; velut si quis hæres rem alienam apud testatorem depositam, vel huic commodatam inter bona hæreditatis repertiens bona fide putat, pertinere ad se jure hæreditatis; at postea intelligit, esse alterius. Ex hac proin radice oritur obligatio naturalis rem ejusmodi restituendi; hoc ipso enim, quod res existat apud alium, invito rei domino, jam est inæqualitas, quia dominus non habet correspondens æquale juri suo activo, sed minus, quam ei debetur: hinc dicitur: *Res clamat ad dominum: jure naturæ æquum est, neminem cum alterius damno fieri locupletorem.* Unde et IMPERATOR L. 2. C. de furt. inquit: *Incivilem rem desideratis, ut agnitas res furtivas non prius reddatis, quam pretium fuerit solutum a*

*domino*. Hinc radix illa possessorem bonæ fidei respicit, qui vi hujus radicis tenetur restituere rem alienam existentem penes se sive in natura, sive in æquivalenti, quantum factus est ditior, si nondum præscripserit, adeo ut, resciscens verum dominum, si huic non restituat, incipiat esse detentor injustus formaliter, et obligari ex radice altera injustæ acceptionis.

2°. *Injusta acceptio* est juris alieni formaliter ac theologice injusta læsio, quoquo modo fiat, sive rem alienam occupando vi, furto, usura, rapina, fraude; sive sic retinendo physice, vel moraliter, quo modo apud detractorem extat aliena fama: quatenus nimirum in detractoris potestate est, extinguere famam, ac veluti sepelire, non revocando dicta deletiva æstimationis alienæ. Obligatio restituendi ex injusta acceptione rursum juris naturalis est; cum dictante ita omnibus rationis lumine, nemo damnum habere debeat ob malitiam alterius; nemoque voluntaria læsione alieni juris, furto, rapina, fraude, etc. ditescere. Quin obligatio ex injusta acceptione orta longe est gravior priore, quæ ex re accepta nascitur: ex hac enim non teneris, nisi res vel in natura existat, vel æquivalenti; verbo præcise, quantum es factus ditior: contra ex injusta acceptione restituere teneris, etsi res aliena apud te nec in natura, nec in æquivalenti amplius existat; imo etsi propterea etiam damnum in bonis propriis subivisses; quia, quod tu damnum sentias, non ideo alius damnum a te injuste illatum sentire debet.

Sed, inquires, Jurisconsultis plures radices sunt restituendi, videlicet etiam delictum, vel quasi delictum; contractus, vel quasi contractus; dispositio legis.

R. Delictum ad injustam acceptionem reducitur, quo omnis damnificatio injusta pertinet. Præstatio vero debiti ex contractu non est proprie dicta restitutio, cum non sit reparatio juris alieni læsi; sed proprie solutio est: quanquam si, sciens te ex contractu debere alteri, id præstare nolles, tum primum ex injusta acceptione obligari inciperes. Demum obligatio ex dispositione legis non ex jure naturæ, de quo sermo fuit; sed jure positivo provenit.

## ARTICULUS II.

AN GRAVIS OBLIGATIO NATURALIS REPARANDI DAMNUM GRAVE, NECESSARIO SUPPONAT CULPAM THEOLOGICAM GRAVEM?

574. Per culpam theologicam hic peccatum formale intelligitur, nec quæcumque, sed quod adversatur justitiæ, sive formalis injustitia. Certum vero est omnibus, obligationem naturalem gravem restituendi nasci ex culpa theologica contra justitiam mortali, ratione materiæ et voluntarii; cum per hanc inferatur damnum et formaliter, et materialiter grave. Unde solum quæritur hic 1°. An detur obligatio naturalis gravis reparandi damnum grave, sed illatum sine culpa theologica? 2°. Cum accidat non raro, ut damnificator non cognoscat totam gravitatem damni, sed invincibiliter putet, illud esse minus grave, puta, quia vel valorem rei, quam destruit, minorem existimat, judicans valere e. g. aureis 20. cum valeat 50. vel quia effectum cum damno connexum non prævidit, obligetur solum ad reparandam partem damni a se cognitam; vel an etiam ad partem damni ignoratam?

575. *Dico I.* Spectato jure naturæ non est obligatio restituendi, vel reparandi damni gravis sine culpa theologica illati. Est communis Theologorum.

*Ratio* est, quod ex jure naturæ non possit nasci obligatio naturalis, et in conscientia, si nulla detur culpa contra jus naturæ, et in conscientia; atqui talis ex supposito nulla adest. Et vero si sola damnosa actio, sine culpa theologica obligationem naturalem restituendi pareret; hanc quoque contraherent furiosi, amentes, si quando damnum inferrent: at hos nemo obligat; quia videlicet, etsi sint causa damni physica, non tamen sunt moralis, ex defectu cognitionis et voluntarii. Unde potius talis actio damnosa, citra culpam theologicam posita, habet se ut casus fortuitus; vel enim actus ille licitus fuit; vel damnum prævideri non potuit, vel invincibiliter prævisum non fuit; sed in utroque casu damnum se habet, ac si a causa naturali alia, bruto, vel furioso datum esset; cum æque parum tale damnum fuerit voluntarium illi, qui intulit, quam prioribus.

576. *Dices*: Si non sit obligatio naturalis reparandi damnum grave, licet sine culpa theologica datum; ergo casu, quo e. g. exurerem segetes Caii amici mei, invincibiliter putans, esse segetes Sempronii inimici mei, non tenerer quidquam restituere; sed hoc videtur inconveniens. *Prob. seq.* Non enim tenerer Caio, quia huic damnum invincibiliter ignorans intuli; neque etiam Sempronio, quia licet hunc affective lædere voluerim, effective tamen non læsi; solus autem animus nocendi, nullo effectu secuto, non generat obligationem restituendi.

R. *N. Seq.* Quia volui determinate destruere has segetes alienas, quod erat formaliter injustum, cujuscumque essent, sive Caii amici mei, sive Sempronii inimici; et in hoc non erravi invincibiliter, etsi erraverim accidentaliter ratione personæ; igitur tota damni quantitas est mihi voluntaria.

577. *Dico II.* Neque etiam, spectato jure naturæ, nascitur ex culpa theologica gravi obligatio reparandi damnum grave, quoad excessum vel partem invincibiliter ignoratam, velut si alterius annulum, putans valere 10. nummis aureis, cum valeat pluribus, projiceres in flumen; vel si ex damno a te voluntarie illato sequatur effectus damnosus alius sive per se, sive per accidens, quem vero invincibiliter vel ignorasti, vel non prævidisti. Ita HAUNOLD. PONT. DICASTILLO, aliique.

*Prob.* Quia, si vi juris naturalis esset obligatio ad reparandum excessum damni invincibiliter ignoratum, ergo ex radice injustæ acceptionis; nam ex radice rei acceptæ nequit esse obligatio, cum, quod hic supponitur, nihil inde sit factus ditior, sed res destructa sit. Sed ex injusta acceptione non potest nasci illa obligatio; hæc enim radix non habet locum, quando damni quantitas non est imputabilis moraliter; at excessus damni non potest damnificatori imputari moraliter, quia hunc invincibiliter ignoravit; proinde ipsi voluntarius dici nequit, nec directe, ut per se patet; quod enim prorsus ignoratur, quomodo directe intendi potest? nec indirecte in damno præcognito cœu in causa; quia licet excessus cum damno præcognito esset revera connexus, id tamen invincibiliter ignoratur; ergo quoad excessum non fuit causa moralis: sicut qui peccat cum muliere, quam invincibiliter solutam putat, cum tamen ligata sit, formaliter fornicator est, non sic adulter;

sed tantum materialiter; quia ob ignorantiam invincibilem crimen hoc nequit illi imputari in specie adulterii.

578. *Dices 1<sup>o</sup>*. Projiciens rem alienam, puta annulum in flumen, habet voluntatem perdendi hoc totum, quod projicit; ergo totum damnum ipsi voluntarium est, ac imputabile, debetque reparari; qui enim vult causam, vult effectum. Sic etiam qui deliberate ponit delictum, hoc ipso consentit in pœnam, licet illam ignoret: qui alterum in æstu iracundiæ occidit, tenetur ad omnia damna hinc secuta, etsi homicidæ de his ordinarie non cogitent.

*R. D. Ant.* Habet voluntatem projiciendi cum cognitione totius damni *N.* sine illa *C.* Voluntarium, quod præcipue obligationem restituendi fundat, non ab objecto præcise secundum se spectato mensuratur, sed a cognitione; cum nihil volitum, nisi præcognitum: et vero alias pariter qui gemmam, quam invincibiliter putat esse vitrum, projiceret, ad restitutionem gemmæ secundum totam ejus æstimationem teneretur. Rationem additam pariter *D.* Vult effectum, si hujus connexionem cum causa invincibiliter ignoret *N.* si eam cognoscat *C.*

Sed neque est universaliter verum, quod ponens delictum consentiat in pœnam, saltem quamlibet, etiam ignoratam, aut non statutam, vel si statuta sit, non proportionatam; sed ad summum, cum omne delictum punibile sit, voluntarie delinquens ponit delictum pœnæ alicui proportionatum, licet ignoret, quæ pœna statuta sit. Verum jam est *disparitas*, quod reparatio damni invincibiliter ignorati facienda ante sententiam judicis nulla sit statuta lege: non positiva; talis enim non extat: nec naturali juxta rationes Conclusionis. Homicidæ vero ordinarie cognitionem confusam habent de damnis ex homicidio sequi solitis; sicque damnum non est amplius involuntarium: vel si homicida ne confusam quidem de his cognitionem habuerit, nec obligabitur naturaliter ad ea compensanda.

579. *Dices 2<sup>o</sup>*. In foro externo damnificator condemnatur ad præstandum omnem valorem rei, etiam ignoratum; ergo signum est, quod ad totum damnum compensandum detur obligatio naturalis.

*R. N. Cons.* Dum aliquando judex condemnat damnificatorem ad reparandum damnum totum, etiam quoad partem ignoratam; fit hoc ex præsumptione rationabili, damnum totum fuisse a damnificatore præcognitum, saltem confuse; quia plerumque graviter damnificantes, vel sic cognoscunt damnum, vel ignorantia ipsorum affectata est, vel non sufficientem cautelam adhibent. Sic etiam aliquando puniuntur homicidæ, etsi sine advertentia omni, sed errore, ac sine culpa theologica homicidium patratum sit; ex præsumptione nimirum, quod libere patratum sit; alias tamen non puniendi, si innocentiam suam, errorem, ignorantiam invincibilem sufficienter probare possent. Sic et si magistratus furto 100. florenorum furcam decreverit; fur vero invincibiliter putet, se non nisi 50. furto tollere, cum re ipsa 100. tollat, si hanc ignorantiam in judicio sufficienter probaret, omnes, credo, mecum judicabunt, talem in furcam agi non debere. Si quando igitur tales plectuntur, fit hoc ex præsumptione totius damni cogniti, si ignorantiam suam probare non possint; nequaquam vero ob

præexistentem obligationem naturalem reparandi damnum totum, etiam quoad partem ignoratam.

580. *Dices 3<sup>o</sup>*. Justitia exigit, ut damnum externe alteri in rebus suis illatum reparetur ad æqualitatem, nec ita respicit internum affectum; alias qui grave damnum infert alteri, quod putat esse gravius, quam sit in re ipsa, deberet restituere tantum, quantum damni inferre voluit; quod vero falsum est; et nemo tenetur ad plus, quam damni intulit; ergo.

*Ad 1<sup>am</sup> p. Ant. R. D.* Ut damnum cum cognitione ejus illatum reparetur ad æqualitatem *C.* sine hac *N.* vel *subd.* Vi injustæ acceptionis *N.* si damnificans esset inde factus ditior, ut quia res aliena apud eum existit vel in natura, vel æquivalenti *C.*

*Ad 2<sup>am</sup> p. R. D.* Nec respicit internum affectum unice *C.* non respicit hunc simul *N.* Ut detur obligatio restituendi ex injusta acceptione, requiruntur duo: 1<sup>o</sup>. damnum debet esse re ipsa illatum: 2<sup>o</sup>. debet damnificatori esse voluntarium: alterutro deficiente nunquam esse potest ex injusta acceptione obligatio restituendi.

581. *Dices 4<sup>o</sup>*. Convenientius est, ut excessum damni ferat damnificator ob commissam simul culpam gravem, quam innocens læsus; ergo.

*R. N. Ant.* Quia quantum ad excessum damni non cognitum, nec voluntarium, damnificator culpam theologicam non commisit; ergo non apparet, cur ipse restituere debeat; quoad excessum enim damni non cognitum habet se eodem modo, quo alius, qui grave quidem damnum infert, at ignoranter plane, proin involuntarie; quem nemo proinde ex injusta acceptione condemnabit ad restituendum etiam aliquid.

### ARTICULUS III.

AN ET QUALIS OBLIGATIO RESTITUENDI ORIATUR EX CULPA THEOLOGICA VENIALI?

582. Quæstio non est, utrum, qui plene deliberate atque advertenter damnificat injuste alterum in materia contra justitiam levi, ac proinde ex culpa theologica veniali deliberata, teneatur restituere sub veniali peccato? certum enim videtur, cum sic obligari; cum enim ledat justitiam, illam pro quantitate materiæ reparare debet. Sed istud solum hic controversatur, an qui alteri grave quidem damnum in rebus suis intulit, sed per culpam theologicam dumtaxat venialem, habeat obligationem naturalem gravem, vel saltem levem totum damnum grave reparandi? Potest vero culpa theologica, qua grave damnum infertur, per accidens (nam alias foret gravis) fieri et esse venialis 1<sup>o</sup>. quia est tantum semideliberata ex defectu plenæ advertentiæ et deliberationis alias ad mortale requisitæ. 2<sup>o</sup>. Ex omissione debitæ diligentiae, leviter tantum culpabili; quia ex omissione majoris diligentiae periculum damni gravioris ipsi valde remotum videtur. 3<sup>o</sup>. Etsi ignorantia solum leviter culpabili, vel quia usque adeo gravitatem damni objectivam non cognoscit, ut dum deliberate quidem annulum alterius destruit aureum valentem 4. aut 5. florenis, sed quem putat esse cupreum; vel, etsi gravitatem objectivam cognoscit, ignorat tamen gra-